

portio autem hæc in utroque extremo, intellectu scilicet et objecto, fundatur, non tamen eodem modo; nam respectu rerum inferiorum (homine) fundatur in imperfectione earum juncta imperfectione intellectus non habentis vim ad attingendam, ut ita dicam, minimam intelligibilitatem talium rerum. In rebus autem superioribus homine fundatur in excessu perfectionis, quam imperfectio nostra satis capere non potest. Atque ita fit, ut fere in rebus omnibus difficile nobis sit veritatem invenire.»

«Accedit etiam, quod in singulis rebus et quæstionibus veritas una est, falsitas autem multiplex, quia multis modis a veritate recedi potest, multaque possunt habere apparentem similitudinem alicujus rei, quæ revera non sunt. Et inde etiam fit, ut veritatis inventio difficilis sit, lapsus autem in falsitatem facilior atque frequentior» (1).

Hæc ergo prima causa est ignorantiae atque errorum, quæ tolli penitus in hac misera vita nequit, solumque remedium aliquod adhiberi potest studio et attentione, ut numerus errorum, qui necessario esse debebunt, spectata conditione rerum et intellectus nostri, sit quam minimus.

143. Altera causa interna ignorantiae atque errorum sita est in deceptionibus sensuum nostrorum, qui, quamvis per se veraces sint, falluntur tamen non raro per accidens, et intellectui quoque præbent anam errandi. Cavendæ itaque sunt accuratissime sensuum illusiones.

144. Tertia errorum causa est in voluntate, cui multimodis plurium errorum culpa tribuenda est, vel quia negligentiam et fastidium attente studendi non excutit, et mentem a sufficienti rei consideratione avertit, aut sinit averti; vel quia præjudicia seu alios præconceptos errores excludere intellectum non jubet; vel quia præpostere ordinat studia, vel quia affectibus se sinit abripi, et intellectum inclinat ad judicandum secundum illos.

Quo etiam revocari possunt passiones appetitus sensitivi, ac potissimum luxuria et gula, quæ, dum spiritum immergunt in materia, aciem mentis hebetant, studiumque penitus

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 9, sect. 3, n. 13. Cfr. Cosmas Almanni, *Summ. Philos. prim. part.*, quæst. 37, art. 4.

Altera causa interna, sensuum deceptiones.

Tertia causa, voluntas.

interimunt immaterialium contemplandorum. Nam *ex luxuria oritur cæcitas mentis*, scribit Angelicus, *quæ quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit; ex gula autem hebetudo sensus, quæ reddit hominem debilem circa hujusmodi intelligibilia. Et e converso oppositæ virtutes, scilicet abstinentia et castitas, maxime disponunt hominem ad perfectionem intellectualis operationis* (1).

145. Causæ externæ ignorantiae et errorum revocari possunt ad aliorum magisterium, qui, qua voce, qua scriptis, aut erronea docent, aut certe perversa methodo scientias tradunt. Qua in re tempora vere miserrima attigimus, in quibus erectas quaquaversus cathedras omnis pestilentiae videmus ad perniciem improvidæ juventutis, et interitum avitæ Fidei ac religionis et bonorum morum veræque Philosophiæ. Quid autem dicam de stilo scribendi, loquendique ac de methodo disciplinæ tradendi, quæ videtur omnino ad tenebras offundendas, ad corruptenda ingenia et ad errores omnis generis impune spargendos excogitata? Nihil est in plurimorum magistrorum scriptis recte definitum, nihil apte divisum, nihil ad severas argumentandi leges exactum, sed omnia æquivocationibus plena, verborum phaleris ac metaphoris involuta, oratorio stilo amplificata, levissime tractata, ut nec intima rei viscera supremæque causæ pateant, nec adversæ rationes, quæ obstare possent ac nebulis mentem offuscare, dissipentur, nec proinde veritas in suo splendore innotescere queat.

(1) S. Thom., 2. 2. q. 15, art. 3.

Causæ externæ magisterium aliorum et perversa methodus.

LIBER II.

DE NATURA ATQUE ELEMENTIS SCIENTIÆ.

Scientia demonstratione gignitur; demonstratio vero genus quoddam est argumentationis vel dicursus, quæ proinde principiis eget, atque immediatis propositionibus, ac tandem in universales notiones resolvitur. Antequam ergo scientiæ naturam, divisiones ac proprietates aggrediamur, de universalibus prius, ac de principiis et demonstratione disputandum est.

DISPUTATIO PRIMA.

DE UNIVERSALIBUS.

146. Quæstio de Universalibus adeo nonnullis ardua visa est, ut Melchior Canus, haud tardi sane vir ingenii, eam post diuturnum studium diligentemque meditationem, capere se nunquam potuisse fateatur (1). Quamobrem auctor est Philosophis, ne in tam molesta, rei cæteroque parum utilis, tractatione tantum otii et laboris impendant.

Momentum
tractationis.

Equidem tractationis difficultatem ac molestiam non difiteor; summam vero utilitatem ac momentum inficari nequeo, cum videam de ipso scientiarum objecto agi, in quo declarando maximi quique plurium sæculorum Philosophi omni diligentia adlaborarunt. Cum potissimum tristissima experientia compertum nostris temporibus habeamus, turpissima pantheismi aliorumque errorum deliramenta non aliunde, quam ex neglecta penitus aut perperam intellecta doctrina de Universalibus, promanasse.

(1) De Locis Theologicis, lib. 9. cap. 7.

CAPUT I.

DECLARATUR
UNIVERSALIIUM CONCEPTUS.

ARTICULUS I.

Notio Universalis enucleatur.

147. Universale generatim est unum habens ordinem ad plura; et aliud est simplex seu incomplexum, aliud complexum. Complexum est propositio universalis, ea nimirum, cujus veritas importat plurium singularium veritatem, ut v. g. *Omnis homo est animal*. Incomplexum autem, de quo solo nobis est agendum, est *aliquid simplex ordinem habens ad plura*. Sed quoniam ordo ad plura multiplex esse potest, varia quoque distinguuntur universalis incomplexi genera: aliud enim est universale in *causando*, aliud in *significando* aut *representando*, aliud in *essendo*, aliud demum in *prædicando* (1).

Universale quid
generatim:
aliud comple-
xum, aliud
incomplexum.

Quid
incomplexum
et quotuplex.

Universale in causando est causa (sive efficiens sive formalis) omnium vel plurium effectuum. Sic Deus est causa universalis rerum omnium creaturarum. Universale in significando est unum aliquid, quod multa significat, ut vox, vel etiam conceptus, *homo*, *planta*, *lapis*; vox enim aut conceptus ejusmodi, cum sit una quædam res singularis in sua physica entitate, assumitur tanquam signum ad plura alia individua exprimens. Huc etiam revoca universale in representando, quod multa representat, quemadmodum figura circuli descripta in pariete gerit imaginem ac representationem omnium possibilem circulorum, et conceptus *hominis* est pariter imago individuorum omnium generis humani.

Universale in
causando,

in significando,

in represen-
tando,

(1) Vide Suar., disp. 6. *Metaph.*, sect. 8. n. 2; Dominicum Sotum, in *Porphirii Eisagogen*, de *Prædicabilibus*, q. 1; Toletum, *Conimbricensis*, et Rubium in eundem locum; Fonseca, *Metaph.* lib. 5., cap. 28, q. 1, aliosque passim Scholasticos de hac materia scribentes.

in essendo et
prædicando.

Universale in essendo definitur ab Aristotele: *quod pluribus inesse natum est* (1). Universale vero in prædicando, *quod de pluribus prædicari natum est* (2).

De quo agendum
hic.

Nostrum non est nunc de universali in causando seu de causis universalibus disputare, sed de universali potissimum in essendo ac etiam in prædicando; quod proinde accuratius enucleandum est.

Declaratur
descriptio
universalis in
essendo.

Est ergo universale in essendo: *unum aliquid aptum inesse multis secundum totam sui rationem*. Dicitur *aliquid*, nempe natura quævis seu essentia: *unum*, id est, actu indivisum, non solum nomine, sed ratione; secus enim non erit aliquid idem, quod a pluribus participetur, aut certe non amplius habebitur *universale*, sed *universalia*. Hac ergo particula, inquit Toletus, «excluduntur primo complexa, quoniam, ut talia, non sunt unum nomine: excluduntur etiam æquivoca, quia non sunt unum ratione» (3). Atque idem dicendum de analogis, potissimum per extrinsecam denominationem, si loqui proprie velimus. Præterea dicitur: *aptum inesse multis*, et quidem per identitatem, secus enim foret singulare, non vero universale. Natura porro universalis ita debet esse apta inesse multis, ut in illis multiplicetur realiter, nam, nisi multiplicetur illa, non erunt multa, sed unum: qua de causa na-

(1) Vide Arist. et S. Thom., lib. 7. *Metaph.*, lect. 13, paragr. 6.

(2) Vide eodem, *Periherm.*, lib. 1, lect. 10, initio.

(3) Tolet. *Logic*. In *Proæm. Porphyrii*, quæst. 1, ubi post verba citata sic pergit loquens de analogis: «Analogia vero, quia sunt unum quidem nomine et conceptu formali, et ita quodammodo unum ratione sed inæqualiter participati, qualia sunt *unum, ens, bonum*, ac similia; ideo ab Aristotele quibusdam locis universalia ista, scilicet *unum, ens, bonum*, vocantur, ut 3.^a *Metaph.*, c. 3, et 4. (Cfr. S. Thom., ib. lect. 12, paragr. c.), cum ait *ens* et *unum* esse maxime *universalia*; et lib. 4, cap. 2 (Cfr. S. Thom. ib. lect. 4, paragr. f.), tot, ait, esse species unius, quot sunt species entis: quibusdam vero aliis in locis id negare videtur ut 4. *Metaph.*, c. 2, cum ait *ens* et *unum* non esse *universalia* et eadem in omnibus; et 1.^a *Ethicor.*, c. 6, ait, *bonum* æque ac *ens* non esse quidquam *universale* ac *unum*, quia in omnibus prædicamentis reperiuntur. Sunt enim *universalia* analogia et transcendentia; non *universalia* univoca, quæ sint vere genera aut species. Oportet ergo, proprie universale sit unum, scilicet incomplexum et univocum.»

tura divina, licet tribus insit Personis Augustissimæ atque Ineffabilis Trinitatis, singularissima est, quia eadem ipsissima indivisibilis atque inmultiplicabilis est in illis. Unde vides non omnino esse idem *universale* atque *commune*, quia *commune*, quantum est de se, non determinat rei *communitatem* vel *rationis*, sicut *universale*: et ideo *essentia* (divina) *potest dici communis*, non autem *universalis* (1).

Discrimen
universalis et
communis

Denique dicitur in definitione *secundum totam sui rationem*, ita nimirum ut natura illa *tota*, seu secundum totam suam actualitatem, vel notarum comprehensionem, possit pluribus inesse per identitatem.

Hoc modo tota ratio *plantæ, animalis, hominis*, reperitur in singulis individuis harum specierum; unde natura, quam exprimit vox et conceptus communis *planta, animal, homo*, talis est, ut divisibilis sit in plura, quæ singillatim integram illius rationem possideant, estque proinde universalis respectu eorum. E converso quantitas bipalmaris, quamvis dividi possit in binos palmos, quia tamen in singulis palmis non inest tota quantitas illa bipalmaris, ideo non est universalis respectu illorum. Idemque dicendum est de quovis composito respectu partium, quibus aut constituitur, aut integratur (2). Et ita etiam patet animam humanam, licet sit tota in singulis partibus corporis, universalem non esse, tum quia non inest per identitatem, tum quia non multiplicatur in iisdem.

Cur per
aptitudinem
describitur uni-
versale.

Notandum porro est universale describi a Philosopho potius per *aptitudinem*, quam per actum essendi in pluribus. Quia quamvis in aliqua forte rerum classe non sit nisi unicum individuum, nihilominus si naturæ illi secundum se non repugnet esse multiplicatam in pluribus, non desinet esse universalis. Exemplum habes in sole et luna (3).

Jam universale in prædicando seu *prædicabile* diximus esse *unum quiddam aptum prædicari de multis*, scilicet per identitatem, et secundum eandem significationem ac rationem.

Universale in
prædicando.

(1) S. Th. 1.^o dist. 19, q. 4, a. 2., ad 2.^{am}

(2) Cfr. Suar., disp. 6 *Metaphys.*, sect. 2., n. 9, et alios antiquos passim.

(3) S. Th. 7.^a *Metaphysic.*, lect. 13, paragr. b. Cfr. loc. nup. cit. ex 1.^o dist. 19, q. 4, a. 2. ad 2.^{am}

Quæ definitio jam satis intelligitur ex modo dictis de universalis in essendo.

Non sunt hæc
duo universalis
re distincta,
sed unum
diversa ratione
declaratum.

Ne tamen existimes universale in essendo et in prædicando re inter se distingui. Nam universale in essendo aut nullum est, nimirum si fingatur, ut avulsum ac separatum ab individuis, quemadmodum videbimus mox; aut eo modo, quo est, coincidit in re cum universalis in prædicando (1). Etenim si quid in multis per identitatem existit, prædicari etiam de illis poterit, nec quidquam de pluribus prædicari potest, quod in illis non insit per identitatem (2). Quare duo hæc universalis censentur esse una eademque res secundum diversas considerationes; quia eadem natura, quatenus est actu indivisa, multisque communicabilis, secundum integram rationem modo declarato est universale in essendo; et eadem ipsa natura, quatenus est ratio quædam objectiva prædicabilis de subjectis, in quibus reperitur, est universale in prædicando. Ipsa porro prædicabilitas secundum quosdam spectat ad essentiam universalis in essendo (3). Alii tamen communius putant prædicabilitatem esse proprietatem metaphysicam, seu reipsa indistinctam, ejusdem universalis (4).

Itaque secundum hanc alteram sententiam allata definitiones universalis in essendo et in prædicando, non sunt nisi duæ definitiones ejusdem rei, prima essentialis et altera descriptiva rem declarans per ipsius proprietatem metaphysicam prædicabilitatis (5).

Universale dividi etiam solet in *metaphysicum* et *logicum*. Metaphysicum est natura ipsa vel essentia quævis, quæ

Divisio
Universalis in
metaphysicum
et logicum.

(1) Suar., disp. 6, *Metaphys.*, sect. 8, n. 2.

(2) Cfr. Albert. Magn., *De Prædicabilibus*, tract. 2, cap. 1, et alii passim.

(3) Vide Scotum in *Logic.*, quæst. 15; Hurtad., *Logic.*, disp. 3, sect. 2.

(4) Vide Lossada, *Logic.*, tract. 2, disp. 2, cap. 6, n. 5.

(5) Vide Suar., *ibid.*; Cardinal. Tolet., *De Universal.*, q. 1; Fonseca, *Metaphys.*, lib. 5, cap. 28, q. 1; Conimbricenses in *Præfation. Porphyrii*, q. 1, art. 4; Anton. Rubio, *De Universalibus*, q. 2; Joann. a S. Thoma, *Logica*, quæst. 3, a. 1; Izquierdo, *Pharus*, disp. q. 4, n. 41; Amici, *Logic.*, tract. 4, quæst. 9, dub. 1; Cardin. Ptolom. op. cit. *Dissert. Logico-Phys.* 11, sect. 1, n. 6; Arriaga, *Logica*, disp. 4, sect. 1, n. 7, aliosque communiter.

apprehenditur cognitione præscindente a notis individualibus, prout substans hujusmodi cognitioni: logicum vero est hæc eadem natura cum sua universalitate seu unitate et aptitudine, ut sit in multis. Et ratio appellationis ex eo derivatur quod, licet tum *Logica*, tum *Metaphysica*, cæteræque scientiæ tractent universalis, nihilominus hæc est inter illas differentia, quod *Logica* in naturis universalibus præcipue considerat ipsam universalitatem ac variam prædicabilitatem, secundum modum generis vel speciei etc. *Metaphysica* vero ac cæteræ scientiæ potius considerant prædicata realia naturarum illarum, ac proinde in universalibus aliud non contemplantur, nisi ipsam naturam, quæ universalitate afficitur. Ideoque alterum vocatur *logicum*, quasi spectans ad *Logicæ* considerationem, alterum *metaphysicum*, tamquam objectum *Metaphysicæ* aut aliarum scientiarum, ad earum considerationem spectans; quamvis non denominatur ab omnibus illis, sed solum ab ea, quæ est inter omnes dignissima et altissima. Universale metaphysicum vocatur etiam a quibusdam recentioribus *directum*, logicum vero *reflexum*. Ex quibus facile intelligitur hanc divisionem non esse univocam, sed vel concreti in suas partes, vel analogi in analogata (1).

Universalis opponitur singulare et individuum, et quidem non solum relative, quatenus secundum mentis comparationem seu dialecticam considerationem individuum speciei subjicitur; hoc enim neque omni naturæ individue convenit, ut patet in divina; sed præterea «quasi privative, fere ad eum modum, quo unitas multitudini opponitur. Commune enim seu universale dicitur, quod secundum unam aliquam rationem multis communicatur, seu in multis reperitur. Unum autem numero seu singulare ac individuum dicitur, quod ita est unum ens, ut secundum eam entis rationem, qua unum dicitur, non sit communicabile multis ut inferioribus et sibi subjectis, aut quæ in illa ratione multa sunt; hæc enim

Quid
individuum.

(1) Cfr. Suar., disp. 6, *Metaph.*, sect. 8, n. 3, 4; Conimbric. in *Præfation. Porphy.*, q. 1, a. 4; Complutens., *Logic.*, disp. 3, quæst. 6, n. 64, seqq.; Rub., *Logic. de Universalib.*, q. 5, n. 68; Joann. a S. Thom., *Logic.*, q. 3, art. 1.

in idem incidunt, et significata sunt ab Aristotele (1) dicente: *Singulare exponimus, quod numero est unum, universale autem, quod in his* (2).

ARTICULUS II.

Quænam unitas et aptitudo naturæ
universali conveniat.

148. Ex hactenus disputatis colligitur, duo in universali posse considerari, materiam ipsius et formam: materia est quævis natura, quæ universalis dicitur, forma vero ipsa universalitas seu formalis ratio, propter quam natura fit, ac vocatur universalis. De ipsa natura nihil occurrit hic dicendum, sed forma magis adhuc est declaranda. Consistit porro hæc in duobus, in unitate naturæ, et ejus aptitudine ad communicationem et inexistentiã in multis inferioribus.

Quid unitas, indivisionem in seipso; unum quippe dicitur, quod est indivisum in se (3). Et multiplex distinguitur; quantum autem ad præsentem controversiam spectat, alia est unitas *individualis* seu *numerica*, alia *essentialis* seu *formalis*. Unitas individualis est ea, qua aliquid constituitur unum numero seu singulare, nimirum indivisibile in plura similia, taliaque, quale ipsum est. Ita *Petrus, hæc penna, hæc charta* singularia sunt, atque individua potiuntur unitate, quia sunt pluribus incommunicabilia secundum identitatem: dividere namque illa poteris in plures partes actuales, non vero in eas, quæ vere singillatim possideant totam rationem *Petri, hujus pennæ, hujus chartæ*... (4).

formalis: Unitas formalis est indivisio essentialis seu naturæ in se ipsa. Hanc habet v. g. *humanitas, animalitas*, et quævis alia essentialis, quæ est una per se. Negari enim nequit, entitatem, quam exprimit humanitas et animalitas, etiam præcisa indivi-

(1) Lib. 3. *Metaphys.*, cap. 3. text. 14.

(2) Suarez, disp. *Metaphys.* 5., sect. 1. n. 2, ubi vide plura.

(3) De his agendum est in *Metaphysica*, ubi de entis proprietatibus.

(4) Vide Suar., disp. *Met.* 5; sect. 1. n. 2; 3.

duatione quacum reperitur in *Petro* et in *leone*, esse indivisam in se. Etenim sicut Petrus est unum individuum, ita humanitas est una essentia et natura; et sicut Petrus, qua ratione est unum individuum, est indivisibile in plures Petros, ita humanitas et animalitas sunt indivisibiles in plures humanitates atque animalitates, quæ natura essentialique, et non solum numero, differrent. Possunt enim esse plura individua humana, vel plures humanitates individue distinctæ et multiplicatæ, quæ diversitatem sortiantur per id, quod exprimitur conceptu individuationis, non vero per id, quod exprimitur conceptu hominis. Unitas individualis vocatu etiam *materialis*.

Dari hanc formalem unitatem in rebus præter individua negari nequit, quoad rem ipsam, nisi quæstio fiat de voce. Res enim non modo habent unam individuationem, sed unam etiam essentialiam, et unumquodque individuum, non solum est unum numero, sed etiam essentia. Et utraque hæc unitas est realis omnemque antecedit mentis cogitationem (1).

Ceterum istæ duæ unitates a parte rei non distinguuntur realiter, verum ratione dumtaxat. Neque enim ipsa entitas ac realitas individuationis vel hæcæcitatibus seu individuationum notarum realiter distinguitur ab entitate ac realitate essentialis, quemadmodum nunc supponimus. Cum ergo unitas sit ipsa rei entitas, quatenus importat carentiam divisionis, ubi entitates ipsæ realiter non distinguuntur, nec distingui possunt unitates. Distinguuntur tamen ratione, quia essentia, prout distincta ab individuatione, suam habet formalem unitatem, non vero individuaalem. Conceptus ergo utriusque unitatis diversi sunt (2).

Hinc sequitur, unitatem formalem, modo descriptam, in variis individuis pro eorum numero multiplicari. Et ratio est, quia hæc formalis unitas inseparabiliter sequitur ipsam rei entitatem ac naturam. Multiplicata ergo natura in pluribus

(1) Vide Suar., Disp. 6. *Metaph.*, sect. 1. n. 8; Conimbr. in *Præfatione Porphy.*, q. 4. art. 3. sect. 1. in responsione ad 2.^{um} argumentum; Tolet. de *Univ.*, quæst. 3; Cajetanus in *Comment.*, Opusc. de *Ente et essentia*, c. 4. quæst. 6; P. Georg. Rhodes, *Philos.*, *perip.*, lib. 4., disp. 3., quæst. 2., sect. 1., paragr. 3; Compton, *Logic.*, disp. 27, sect. 2; Rub., *Logic. Mexicana, De Universal.*, q. 3.

(2) Suar., ib., n. 9., ubi plura quære.

Istæ duæ unitates se non distinguuntur.

Unitas formalis multiplicatur in individuis.

individuis, debet et unitas ejus multiplicari. Accedit, quod unitas formalis atque individualis solum conceptu, minime vero re distinguuntur. Atqui unitas individualis multiplicatur. Ergo etiam formalis. Quamobrem Petrus et Paulus non modo sunt duo individua, sed duo etiam homines: nec solum habent duas individuationes re distinctas, sed duas quoque humanitates (1). Quamquam hæc magis inferius declarabuntur contra Scotistarum opinionem.

Itaque nulla debet esse, ut supra dicebam, quoad rem ipsam difficultas in hac *formali* unitate amplectenda, illamque videtur significare S. Thomas (2) et ab omnibus admitti testantur Eximius Doctor (3), Rubius, Compton (4) et Complutenses (5).

Neque vero contra hanc doctrinam objicias id, quod S. Thomas tum in Opusculo de *Ente et essentia* (6), tum alibi sæpe docet, naturam secundum rem nec unam nec plures esse, sed unitatem ac pluralitatem ipsi *accidere*, seu extrinsecus advenire. In iis enim omnibus loquitur de unitate ac pluralitate individuali, ut ex contextu colligitur, et recte interpretatur Cardinalis Cajetanus (7).

Quamquam dissimulandum non est sæpe a multis auctoribus respici formalem unitatem, quæ actu a parte rei reperitur. Hujus tamen dissensus ea est causa, quod nomine formalis unitatis aliud intelligant, nimirum vel unitatem universalem mox declarandam, vel unitatem naturæ scotistico modo expositam. Duplex enim distingui potest formalis unitas: altera, per quam aliquid dicitur unum formaliter habens essentiam indivisam, et altera, per quam aliquid dicitur unum formaliter, *multis communicabile* (8). Et Scotistæ, quemad-

(1) Vide Suar., loc. cit., n. 11.

(2) De *Natura generis*, cap. 7.

(3) Disp. 6, *Metaphys.*, sect. 1. n. 8.

(4) Ant. Rubio *Logic. Mexic.*, De *Univers.*, quest. 3, n. 43; Compton., loc. nuper citato.

(5) *Logic.*, disp. 3, quest. 2.

(6) Cap. 4.

(7) Comment. Opusc. de *Ente et essentia*, in cap. 4, q. 6, *Et quando queritur*.

(8) Cfr. P. Ant. Rub., loc. cit.

Unitas formalis
a quibusdam
aliter
explicatur.

modum inferius declarabimus, volunt naturam non modo esse *in se indivisam*, sed etiam formaliter eandem et communem pluribus individuis, in quibus negant naturam multiplicari, adeo ut individua speciei vel generis alicujus distinguantur quidem inter sese ratione individuationis, ideoque esse plura individua; non vero plures essentias et naturas, quia una formaliter est in omnibus natura, nec distingui ratione illius possunt individua. Hæc ergo duplex acceptio formalis unitatis habenda est præ oculis, ne quis in veterum Auctorum lectione confundatur ac misere decipiatur.

Solet etiam a nonnullis nomine formalis unitatis intelligi unitas similitudinis, quæ aliud non est, quam convenientia realis plurium in aliqua forma, ratione cujus eadem definitione definibilia sunt. Hæc convenientia seu similitudo improprie dicitur unitas, cum essentialiter importet pluralitatem entium, in quibus nihil reperitur a parte rei indivisum et commune illis omnibus, sed solummodo in singulis sit aliquid, cui aliud simile in reliquis inest. Hoc modo Petrus et Paulus dicuntur habere unam naturam, homo et asinus unam animalitatem; non quia unum aliquid indivisum et secundum eandem physicam realitatem ab illis possideatur, sicut eadem natura possidetur a tribus divinis Personis; sed quia in Petro est una natura et altera in Paulo similis omnino priori, et in homine est una animalitas et altera similis in asino (1).

His pro terminorum declaratione præmissis, questionem propositam de naturæ universalis unitate resolvere oportet.

149. PROPOSITIO. Unitas propria universalis non est unitas individualis, nec formalis, nec unitas similitudinis, sed est divisio actualis naturæ cum aptitudine ad divisionem in plures naturas ejusdem nominis et rationis.

Prima pars. Et ratio est evidens, quia universale vindicat eam naturæ unitatem, quæ aptitudinem habeat ad communicationem ac divisionem in plura ejusdem nominis ac rationis. Unitati vero individuali seu numericæ opposita incommunicabilitas competit.

Unitas propria
universalis
non est
individualis.

(1) Vide Suar., disp. 6, *Metaphys.*, sect. 2, n. 14.